



IOannes ab adolescentia diligentem operam literis nauauit, et artium atq; linguarum magnam sibi notitiam comparauit. Inde Luthero præcepto reusus Theologiæ incubuit, & in eo studio adeò profecit, ut postea doctissimis Theologis collatus, & Hamburgensi Ecclesiæ pastor ordinatus fuerit. Itaq; is eo tempore, cum noua religionis formula Augustæ 1548 à Cæsare esset publicata, adeoq; per fines Mauritij Electoris Saxoniae res ad mutationem religionis uideretur spectare, euulgato scripto librum & decretum Augustanum prolixè confutauit, atq; sese Lypsensibus et Vuitebergensibus cum Illyrico opposuit, & libellis æditis accusauit,

quasi dissimulanter agant, & per adia phora, seu res medias, pontificiæ religioni uiam aperiant. hanc deniq; cum proximis Ecclesijs regulam ponit: Omnes ceremonias atq; ritus, quantum uis natura sint indifferentes, non amplius esse adia phora, cum uis & opinio cultus & necessitas accedit, & quum impietati datur occasio. Philippus autem inter alia seruitutem aliquam ferendam dixit, non coniunctam cum impietate. Scripsit præterea Aepinus de iustificatione hominis, de operibus legis, de fidei iustitia et origine, de fidei discrimine & uirtute, de notis & signis iustificationis fidei, & hominum iustificationum, de imbecillitate & peccatis sanctorum, de discrimine peccatorum, de præmijs fidei & bonorum operum, cum confutatione argumentorum, quæ ab aduersarijs adduci possent. deniq; quoque libellum de sacris concionibus formandis, quibus lucubrationibus factum, ut Aepinus apud omnes innotesceret. Sleid,